

SPECIMEN ACADEMICUM
DE PRINCIPIO ULTIMO OFFICIO-
RUM HOMINIS.

QUOD,

CONS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOENSIS,

PRÆSIDE

FRANCISCO M. FRANZEN,

Reg. Acad. Bibliothecario,

BRO GRADU

publico examini modeste offert

CAROLUS HENRICUS FORSSMAN,

, V. D. M. Nylandus.

In Audit. Minori d. 6 Jun. 1798,

H. A. M. C.

ABOÆ,

TYRIS FRENCKELLIANIS,

Copijor offravasq; qmum

CAROLUS HENRICUS FORSSMAN

VIRO

Admodum Reverendo

Domino

ANDREÆ GADOLIN

Pastori Ecclesiarum in Bjerno, Finnby & Öfverby,

nec non

Contractus Adjacentis Præposito Meritissimo,

Fætori Optimo,

Has pagellas Sacras voluit, debuit
Nominis Sui

Cultor observantissimus

CAROLUS HENRICUS FORSMAN.

§. I.

Contentiones Philosophorum de ultimo principio officiorum hominis, varie quidem institutæ, omnes tamen ad quæstionem, a Stoicis & Epicuraeis olim agitatam: an honestum ab utili differat? referri possunt.

Quæ disputatio, omni tempore celebris, nuperrime etiam renovata est: recentiorum scilicet Eudæmonistarum doctrinam novissima philosophia, quam Criticam nominant, penitus evertere nitente; atque in nostra quoque patria virorum, cum ingenii tum eruditio- nis laude insigium, subtilissima de hac re argumentatione, liberalis cuiusque lectoris animum advertente (*).

Quemque sane, qui sensu dignitatis humanae movetur, sollicitum esse decet de firmo con-

A

sti-

(*) Vide Recensionem libri Kantiani, Svetice traducti, *Grundläggning til Metaphysiken för seder*, in operis, quod inscribitur *Lösning i blandade ämnen*, N:is 2. & 3 occur rentem; nec non traductoris Cet. Boëthii de principio honesti commentationem, in Ephemeridum Literarum Sveciarum, a Silfverstolpe, editarum vol. I. p. 273. legen dam.

stituendo rei moralis fundamento: qva nempe vacillante, leges & religio, poenis & superstitione, non hominum societatem, sed animalium continebunt.

Ad rem igitur, qvæ ad omnes utique pertinet homines, etiam nos mentem attendisse: id non est, de qvo nos excusemus. In exponenda autem nostra ejus notione, qvam nempe, disquisitione ista summorum Philosophorum eruditæ, nobis conceperimus: si judicii aciem, re examinanda dignam, hanc exhibemus, hoc juvenili conatu benigne indulgeatæ.

§. 2.

Tres omnino leges rerum naturam, qvam novimus, regere videntur: *vis Mechanica, sensus, ratio*. Mechanice moventur res inanimatae, animantes vero & ista vi & sensu; homo & illis duabus & ratione.

Mechanica est causa, qvæ sanguinis circuitum cibi digestionem, respirationem & ceteras animalium functiones vitales agit. Eademqve plantarum vitam vegetabilem, qvam dicunt, efficit.

Sensus vero vel *cæce*, vel *intellectu conscientia*, cum hominem, tum bestias movet. Si *cæce*, *instinctum* nominamus; si *intellectu conscientia*, *amorem sui*: qui nempe sensu grati vel ingrati nascitur.

Ratio denique liberam hominis voluntatem gubernat.

Animalem hominis naturam vi mechanica & instinctu conservari, nullum est dubium: moralē autem,

tem, an amor sui solus, an ratio sola, an utraqve conjunctim constituant? hæc igitur est quæstio, de qua disputamus.

§. 3.

De externis adminiculis, qvæ humanam sustinent societatem, educatione scilicet & *legibus civilibus* & *religione*, nil monemus. Eorum enim vis internis illis stimulis tota debetur.

Statuunt quidem nonnulli, honesti fundamentum religionem, sive *Dei voluntatem esse*. Religionis vera sensum virtutis idea antecedat, necesse est. Qvam nobis Dei concipiamus notionem, nisi sanctissimi, h. e. honestissimi, a qvo omne turpe absit? atque quid aliud de voluntate ejus nos ratio doceat, qvam justum ei placere, injustum vero displicere? Oportet itaque honesti & justi naturam antea nobis esse definitam, qvam Dei, ejusqve voluntatis, ullam nobis formemus ideam.

Sunt præterea, qui *sensum moralem*, cum a sensu physico, tum a ratione diversum, hominem interne & immediate mouere, contendant. Illum vero nil esse nisi effectum, vel sensus physici in idealem transmutati, vel rationis in voluntatem superiorum agentis, ex iis, qvæ postea dicentur, manifestum fore speramus. Ejusdem esse indolis *benevolentiam* illam naturalem, qvam principii loco, hominem ad honestum ducentis, statuit illustris auctor Examinis sagacissimi Metaphy-

A 2 sicæ

sicæ Morum Kantianæ (*), defendere audemus. Videatur ille duobus præsertim fundamentis assertum suum confirmare; qvorum unum in propensione benefaciendi latet, qvam in hominis natura, a sui amore cupidumqve illecebris non abrepti, inesse contendit. (*) Alterum vero in bonæ conscientiæ testimonio, siue ipsius applausu, ad animi tranquillitatē servandam unicui. qve, in qvemcunqve fortunæ gradum sublatuſ sit, necessario, possum est. Benignitatis vero iſius originem a sensu physico duci facile posse, existimamus, atqve postea paucis ostendere conabimur. Conscientiæ vero testimonium ideam honesti definiere haud potest: illud nempe haec præcedat, necesse est. Non fane sentit, opus sibi esse fui ipsius applausu ille, qvem euk.

(*) v. Låsning i blandade ånnen l. c.

(**) "Et inifrån verkande, icke utifrån häckommit begär til medvarelfers lyckslighet, oätskiljeligen förenadt med ala ändliga, efter begrepp verkande varelser, och derföre hos dem lika ursprungeligt med sjelfva förmuſtet". (p. 129). Non fane audemus cum tanto viro luctari: ingenue tamen fatemur, nos non intelligere posse, qvid sit felicitatis humanæ studium, in mente hominis innatum, & a priori agens; confessa enim est res, homini, qvi nil sensibus expertus fit, nullam omnino fore ideam felicitatis vel suæ vel alienæ. Acutissime qvidem deinde (p. 161). hoc felicitatis studium e nisu qvoddam extra se agendi, enti rationali sed finito, necessarie at tribuendo derivat: qvæ autem actio non nisi in felicitatem intendere possit. Sed omnem extra se agendi nisum in homine a sensu excitari, nec a priori exilere, pro concessso habe-

culpæ pudor adhuc non punxerit: culpæ autem notio nulla esse potest, nisi officio antea cognito.

Difficillime omnino probari posse afferimus, in homine aliquam esse propensionem, qvæ sive a sensu physico, sive a ratione originem suam non ducat.

In eo igitur cardine tota hæc versari disputatio nobis videtur, ut disqviratur: qvid sensus vel amor fui, & qvid ratio ad honesti principium definiendum valeat?

§. 4

Qui totam rem moralem solo amore sui fundant, si ipsi sibi consentiunt, ad sensum physicum omnia non modo desiderandi, sed etiam cogitandivm referunt, atqve ita rationem plane tollunt.

A 3

Sie

mus. Perpetuo sane dormiat, qvem nullæ res externæ moverint. Earum vero sensu exitati hominis rationem a priori qvidem ita agere, ut in unum qvoddam & abso- lutm intendat, ad felicitatem autem, cuius notio tota empirica est, admitti haud posse: indubio probasse argumentis, recentiores mentis humanæ Anatomi nobis qvidem videntur. Hypothesin autem illam ingeniosissimam, qvæ hoc saltem indubie probat, auctori ejus istam esse benevolentiam felicitatisqve humanæ augendæ ardorem, qvem homini innatum esse vult, ut qva par est subtilitate refelleremus, tantum nobis haud arrogavimus. Hæc solum, occasione data, monuimus, ne obstaculum, qvod definituris nobis principia hominem moventia occurrebat, transfilisse videremur. Speramus tamen ea, qvæ postea dicimus, nostram sententiam satius confirmatura esse.

Sic Helvetius, qvì hanc præ plurimis affectarum suorum meruit laudem, qvod Philosophum sibi contentaneum se præstiterit, cum totam nostram rerum cognitionem non nisi memoriam esse eorum qvæ sentimus, tum omnem nostram voluntatem e sensu grati vel ingrati oriundam esse, contendit.

Qvo factò virtus nū erit nisi computatio callidissima eorum, qvæ sensum gratissime afficiunt.

Qvamvis contraria veræ virtutis notioni, hæc ejus definitio mox tibi videatur: difficillime tamen aliam hujus loco substituas, si principium honesti in solo amore sui ponere pergas. Quem nempe doloris & voluptatis memoria totum contineri; nec ullam esse felicitatis humanæ ideam, eujus origo e sensu physico derivari nequeat: extra omne posuit dubium, princeps ille recentiorum Epicuræorum, quem nominavimus.

§. 5.

Transformant autem, ac pulchriori induunt habitu, ut vix cognoscatur, sensualem hunc sui amorem duæ proprietates naturæ humanæ, singulares sene ac egregie notandæ.

Una est adminiculi cum fine transmutatio: alterum sympathia qvædam, vel unius hominis in alterius locum translatio: utraqve nempe phantasiae opere, ideas mire associante, effecta.

Illa est caufsa, cur miles, qvi initio non nisi honorum ac præmiorum studio, qvibus, domum rever-

fus

sus, frueretur, ad audaces excitabatur conatus, consilii sui quasi oblitus, ipsam amet fortitudinem, & dulce sentiat esse, pro patria mori.

Hæc mater est animi affectionum admodum præclararum, qvæ humanam maxime decent naturam: qvibus commotus, unus alteri succurrit, illius gaudet felicitate, eum felicem reddendo se felicem sentit, ejusqve commodum suo præfert. Hæc etiam efficit, ut circulus ille, in qvo suam qvisque qværerit felicitatem, magis magisque sese extendat. Parentes pri-
mum, deinde amicos, tum cives, omnes denique homines amore proseqvimur: qvi sui amoris insitus, stirpem illam turpem pulcherrimis obtexit virtutum humanarum floribus. Gratum nempe sensum, qvem a parentibus & ceteris, benigna nos curantibus affectione, in infantia jam experti sumus, ab omnibus humana indutis forma ingenuæ exspectamus: atq[ue] nostram cum aliena felicitate intine esse conjunctam mature perspicientes, hanc cum illa confundimus: ac demum nil humani a nobis alienum putamus.

Ita igitur oriri unum benevolentiae genus, qvod sensuale dixeris, nobis videtur. Cujus in brutis etiam animantibus, in cane v. c. grato, fideli, benevolo, amico eluentem, non sine admiratione observamus speciem. Alterum vero, qvod rationale nomines, non nisi judicium est rationis, id singulis esse qværendum, qvod generaliter bonum sit, jubentis. Illud est hominis vivida gaudentis phantasia: hoc vero cogitandi & abstrahendi vi eminentis: qvapropter poëtam fere sentiatur benevolum, philosophum autem rationaliter bo-

ne-

nestum reperies: sublato nempe utriqve sui amore, suæ,
qve felicitatis studio.

§. 6

Ex his itaqve jam perspeximus: ensualem illam
voluptatem, qva primum excitamur, in idealem qvan-
dam, qvæ tamen a sensu exit & ad sensum revertit,
fæpe transformari; atqve amorem sui felicitate aliena,
tanquam speculo suæ, delectari.

Qva quidem ratione, species qvædam virtutis, am-
bilis certe & haud spernendæ, in homine nascitur.
Ejus vero æqve ac ingenii laudem, felicem potius
naturæ dotem, de qva sibi qvisqve, qvi eam obtinuit,
ceteriqve, qvi ejus fruuntur calore, valde gratu-
lentur, qvam finem esse certum, in quem intendere,
absolutum sit cuiusqve hominis officium, ipsa ejus origo luculenter monstrat.

Nam sane nimis vagæ sunt illæ phantasiae ope-
rationes, qvæ hoc efficiunt, qvam ut firmum con-
stituere principium actionum humanarum valeant;
pendent nempe cum a diversa corporis constitutione,
qvæ sensus vel vividiores vel hebetiores reddit, tum
ab educatioue variisqve casibus: atqve ad vitium non
rarius fere, qvam ad virtutem ducunt. Ex eodem e-
nim fonte avaritia & benevolentia, mortis pro patria
contemptus & parricidium effluunt. Non insolita occur-
runt exempla parentum, qvi infantes suos ex benigni-
tate trucidaverunt, ne scilicet æqve turpem miseram-
qve agerent vitam, ac ipfi egerant.

§. 7

§. 7.

Rationis itaqve auxilio in dirigendo amore sui,
vel sensualem vel idealem, vel propriam vel alienam
felicitatem qværant, opus sibi esse: Eudæmonistarum
plurimi perspiciunt.

Diversam ergo a sensu, unum ex variis conne-
ctendi vim, rationis, tacite saltem, agnoscent: regu-
las scilicet generales felicitatis qværendæ constituendo.

Qvapropter, duce quidem utuntur ratione: si-
nis tamen loco, in quem omnes intendant hominis
actiones, sui amorem ponunt.

Sic temperantiae & justitiae tibi studendum esse,
præcipiunt: qvia illa sanitatem corporis, hæc socie-
tatem humanam conservat, qvibus autem læsis felix
esse haud possis. Atqve sic generalis tibi præscribi-
tur officiorum norma: si te ipse amas, virtuti stude,
qvia virtutem felicitas seqvitur.

§. 8.

An vero semper seqvitur? Experientia haudqva-
qvam affirmat. Communis est querela, probos oppri-
mi, improbos exsultare.

Qvid ergo illos consolabitur, qvi virtuti operam
dedere, ut felices forent, infelices autem facti sunt?
Conscientiae testimonium, se honeste egisse: Epicu-
ræ respondent, sed parum prudenter. Honeste e-
nim agere, ex eorum sententia, qvid est? felicitatem
perseQUI. Solatum itaqve hoc illis erit: se felicitatem
qvæsivisse, sed non obtinuisse. Quid vero ab-

B

fur-

furdius, quam dicere: hanc ipsam rem te consolari,
quæ doloris tui causa est, atque opera perdita, id ipsum
te ægritudine levare, quod operam perdidisti?

Ex his patet, Epicuræis ipsis ideam honesti, ab utili plane diversi, ante oculos obversari; internum enim animi applausum summum esse bonum confessiunt: quem vero officii definitio antecedat, necesse est.

§. 9.

Videmus igitur, præceptum illud generale Epicuræorum, de virtute seqvenda, ita tantum valere, si nullus occurrat casus, ubi præcepto neglecto, amori sui melius consulatur.

Quis vero non sentit, quam damnosa sit ejusmodi conditio, legi morali adjuncta? Viam aperiat nebuloni cuique, nefanda committendi scelera: dummodo certus sit, illa occulte fieri posse, nec in ulla posthac se inducutra esse periculum.

Callidissimus quisque ita erit honestissimus, nec alia turpis & honestæ actionis differentia, quam quod illa sit imprudentius, haec prudentius patrata: atque omnis morum doctrina nil erit, nisi astutiæ disciplina.

§. 10.

Perswasis itaque, rationem, sensus vel amoris sui ministram, ad virtutem tuta non ducere via, nil nobis restat, nisi ut consideremus, quid ratio sola, a sensu que libera, ad honesti principium constituendum valeat.

Ratio-

Rationis igitur eam esse indolem, ut ad unitatem admittatur absolutam, jam observavimus. Ex variis nempe & singularibus rebus, quas sensum experientia, intellectusque judicia ei suppeditant, unum quoddam & universale connectere studet.

Talem ei esse nisum, vel promptitudo illa probat, quæ generales affirmamus theses. Paucis animadver- sis factis, mox, lege quadam generali connexa, in unum ea colligimus.

Quæ quidem re humana natura excellentiam suam maxime prodit: bruta enim animantia ea, quæ senserunt, memoria quidem tenent, casusque exceptant similes; abstrahendi vero vi & generalia formandi judicia, cum plane distitura sint, in singulis hærent objectis, nec nisi sensu & sensus memoria moventur.

§. II.

Hæc igitur rationis vis mundum & physicum & moralem homini creat.

Quod enim sensibus percipitur, si ratio id non ordinaverit, nil nisi chaos foret, ubi animal humanum impetu cœco circumageretur.

Experientia vero materiam præbebit: ex nihilo enim ratio nihil conficere valet.

Hæc autem materia, neque universam rerum naturam comprehendit; neque earum, quales sunt, sed quales nobis videntur, cognitionem continet.

Universum itaque physicum, quod ratio creat, non est nisi phænomenorum sparsim collectorum systema haud integrum, legibus tamen generalibus conexum: qualis est v. c. lex attrahendi.

Quæ autem leges, non nisi inductione nixa, ad ordinem quidem, quem homo, res physicas explorans, in easque agens, illisque actus, servat, definiendum sufficiunt: absoluta tamen & universaliter carent necessitate, ita tantum valentes, si nullo tollantur phænomeno. Unde docemur, legem moralem, quam quæri mus, universalem & absolute necessariam, a legibus, ex physica rerum natura abstractis, totam differre.

§. 12.

Hæc igitur est differentia mundi physici & moralis, in quibus homo versatur: quod illum, a sensibus oblatum, & ab intellectu gradatim examinatum, hypothetice & particulatim ratio ordinet, hujus vero formam absolutam & universalem a priori definiat, cui deinde actiones humanæ aptandæ sint, magis vel minus ei appropinquantes.

Sed hoc ipsum quæritur: an hæc forma moralis actionum huamanum a ratione mera, omni experientia abstracta, definiri possit?

Hac autem quæstione simul quæritur: an *ullum* certum & categoricum honesti principium constitui possit? Ex iis enim, quæ jam attulimus, satis patere speramus, id neque a sensu, neque a ratione empirica

fieri posse: fieri ergo a ratione *pura*, pro probato nobis ponendum est, nisi omnem virtutis certe definiendæ spem mittamus.

Credimus vero ita, non demonstramus; sed demonstrabimus etiam, si pro concessa nobis detur, libram esse homini voluntatem.

Quod sane dandum est: quisque enim se liberum sentit. Servum quidem se sentit, quatenus mundi physici particula est, sensuque & ideis, ab experientia oriundis, movetur: liberum vero, quatenus mundi rationalis civem se agnoscit, rationisque meræ ductu obseqvitur.

Sed hæc proprius consideranda sunt.

§. 13.

In felicitate persequenda, hominem libere non agere, facile est intellectu. Bonum nempe non potest non desiderare, nec malum non averari: sensu nempe impellitur grati vel ingratii.

Ita tantum liber est, ut majus e duobus bonis, minus e duobus malis eligat. Nam non modo sentit, sed etiam sensorum meminit, comparatque ea & judecat: quare malum & bonum verum ab apparentia constans ab inconstanti, praesens a futuro, commune ab individuali, sensuale ab ideali distinguere dificit. Illum autem esse vere liberum, qui bonum mittere & malum eligere ita tantum potest, si ea re bo-

num

nam assequatur majus, & majus effugiat malum: qvis dicat, qvi justam libertatis ideam sibi conceperit?

Deinde delectus ille, in felicitate perseqvenda instituendus, a notionibus boni & mali pendet, qvas sibi qvisqve formaverit. Qvarum vero causæ, cum in corporis sui fabrica, tum in externarum rerum, qvæ eum moverunt, fortuita constitutione latentes, libero suo arbitrio haud erant subjectæ.

Variae idcirco sunt felicitatis imagines, qvæ singulos homines alliciunt: nec forte magis vituperandus est, qvi

nec veteris pocula Massici
nec partem solidi demere de die
spernit: nunc viridi membra sub arbuto
stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ,
qvam ille, qvem
doctarum hederæ præmia frondium
dis miscent superis:
si uterque nimirum non nisi felicitati studet.

Qvatenus itaqve orbis sensualis objectis hominem movetur, non potest non felicitatem perseqvi. Id vero ei præcipere, ad qvod physica impellitur vi: superfluum sane est. Legem ergo moralem felicitatis querendæ principio constituere: legis notioni repugnat, qvæ non nisi liberum obligare potest.

Regulæ autem felicitatis obtinendi, de qvibus supra monuimus, homini non libero quidem, sed intelligenti tamen, præscribi possunt. Sed illæ non nisi

con-

consilia sunt majus e minori bono vel male distinguendi; nec cum lege moralis, liberam dirigente voluntatem, confundi debent.

§. 14.

Cum igitur pateat, hominem, qvatenus in mundo physico, ideis ex eo haustis ductus, agit, liberum non esse, nec lege moralis obligari posse; inde colligere licet: vel libertatem humanam nullam omnino esse, virtutemqve ideo noui nisi vanum esse verbum: vel hominem a sensu mundo in aliud, ubi ratio sola gubernat, se translatum cogitare posse, atqve ita tantum liberum esse legeqve moralis obstringi, qvatenus orbis istius rationalis membrum se cogitat.

Nemo autem, qvi animi sui naturam observaverit, facile neget, id saepe fieri, ut, omni experientia sibi abstracta, se agentem sentiat.

Theoreticam quidem vim rationi puræ inesse, nullum est dubium. An vero practica etiam sit? hæc difficilior est quæstio.

Maximi sane momenti est res, hic in dubium vocata. Ab ea enim totæ pendent, cum libertas & virtus hominis, tum etiam vera Dei notio.

Si neges, hominem, qvatenus mere rationalem se cogitat, voluntatem habere: moralem ejus naturam plane tollas. Non nisi animal erit, sensibus servum: a ceteris animalibus non nisi latiori felicitatis notione, superiori intellectu forma, diversum: illis vero multo infelicius,

quippe

quippe quod felicitatem, in quam intendit, obtinere nequeat.

Deinde facias, ut Deus nobis videatur non nisi otiosus cogitationum suarum spectator. Si enim homini rationalem esse voluntatem, non sentiamus: neque Deo eam attribuere possimus. Aliam enim Dei nobis formare notionem nequimus, quam quae oritur, rationis, libertatis, honestatis, quas in nobis met ipsi sentimus, ei sumمام attribuendo vim.

Sed sentimus indubie, nos libere velle. Cum mendacium v. c. vituperamus, non quia nocet, sed quia sibi ipsum repugnat; cum suum cuique reddendum esse jubemus, quia suum est: libere volimus: nulla scilicet idea, ab experientia oblata, voluntatem moveante.

Libere nempe velle, idem est ac rationaliter velle. Ea ipsa re continetur libertas hominis, quod, nullis sensuum illecebris vel experientiae ideis commotus, rationi soli obtemperet.

Atque ita quisque erit plene liber, si rationis absolutio imperio subjectus sit. Deum vero solum plene liberum nobis concipimus, quippe quem solum mere rationale non modo se cogitare, sed esse, credimus.

§. 15.

Pro certo igitur ponimus homini esse liberam vel rationalem voluntatem, quam etiam superiorem nominant. Atque ab ea sola honesti principium esse petendum, affirimus.

Quid autem est, quod a priori ratio velit? Idem natus est rationis practicæ ac theoreticæ. Quam nempe unitatem phænomenis physicis, ea conne-ctendo, & ex communibus causis derivando, hæc tribuit: eandem illa actionibus dare liberis, legi uni-versali easdem subjiciendo, nititur.

Sed dum hæc, a particularibus ad generalia ascendens, nec integrum, nec certum conficit systema naturæ, manca scilicet & vaga superstructum experientia; illa ab universali descendens lege, a priori lata, absoluto ejus imperio omnia, a quocunque ente rationali gerenda, subjicit.

Ratio enim, quatenus ratio est, non potest non in unum quoddam absolutum & universale intendere. Quisque ideo, qui ratione gaudet, non potest non nolum istum rationis suæ sentire: ejusque legi subiectum se confiteri.

Honesti igitur principium, quod quæsivimus, jam invenimus: ex ipsa rationis natura effluens, universale, quia omnibus ratione præditis commune est, & absolute necessarium, quia, eo sublatto, etiam ratio tollitur.

§. 16.

Dicas autem, nondum patere, quid homini jubeat lex ista meræ rationis?

Diligenter observandum est, hoc quid vel formam vel materiam actionis significare posse.

Si materiam queris: eam non ratio, sed experientia præbet. Si formam, ea jam definita est. Eadem

C

nem

nempe forma actionum suarum homini quærenda est, ac omnibus ratione præditis entibus: Absoluta scilicet earum unitas.

Lex igitur moralis, a ratione lata, homini sic iubet: *Stude harmoniae actionum tuarum cum lege, quam omnibus ratione præditis absolute observandam ipse statutis.*

Si jam quæris quid sit justum? id esse justum respondemus, quod omnibus in omni casu agendum esse, uniuscujusque hominis ratio judicat. Atque eum, qui nil agit, quod non semper, ab omnibusque agendum esse, velit, honestum esse, jure contendimus.

Unicuique observare licet, se, quando ad peccandum seducitur, a ratione quasi mendicari, ut unicam illam actionem, ad quam committendam libido eum trahit, ab universali lege excipere, sibi ex gratia permittatur. Actione autem peracta, conscientiæ ægritudo, (si conscientiæ nomen mereatur, nec ejusdem sit generis, ac dolor furis, quem poenitet, se vel majorem pecuniam, occasione data, vel prudentius non abrepisse), ex persuatione oritur: legem rationis nullam permettere exceptionem. Hac enim ipsa lex moralis a regulis differt, quas ejus loco statuerunt, qui felicitatis principium defenserent, quod illa absoluta sit, de his vero valeat tritum illud: nulla regula sine exceptione.

§. 17.

Quamvis autem principium honesti, sic definitum, firmum sit, & unum: inde tamen non efficitur:

ho-

honesti ideam variis hominibus variam esse nequire. Sed plurimum, diverse agentium, singulus juste agere potest.

Quisque enim, qui persuasus est, actionem suam ejusmodi esse, ut omnibus & in omni casu eam patrandam velit, ille honeste agit: quamvis falsa ejus persuasio sit. Valent hic Pauli verba: quidquid cum persuasione fit, non peccatum est, & contra.

Hæc vero persuasio pendet, cum a diversa cultura mentis cujusque, tum a diversa constitutione rerum, in quibus quisque versatur.

Lex enim moralis, quam ratio statuit, non nisi formam definit honesti, quæ una eademque semper est. Materia autem, cui illa applicanda est, varia esse potest: experientia enim eam suppeditat.

In eo igitur consistit virtus humana, ut formam absolutæ unitatis, quam ratio a priori definit, varietati rerum, quas experientia colligit, applicare studeat.

Haud inepte idcirco virtutem pulchritudinem moralem nomines: si communem pulchritudinis notionem, qua unitas in varietate esse definitur, approbes.

Illustreremus autem hanc virtutis notionem similitudine quadam. Patellæ faciendæ sunt alicui: placet ei maxime figura circuli, quippe quæ pulcherrima menti ejus videtur. A priori igitur decernit: ut patellæ istæ figuram circuli imitentur. Forma itaque petellarum antea data est. Quantæ autem erunt: & cujus materiæ? id demum a posteriori dijudicat: postquam

C 2

nempe

tempore sciverit, quænam materies vel durissima sit, vel mundissima, vel minime sumtuosa, & quænam magnitudo usui earum aptissime conveniat. Sic formam honesti ratio a priori definit: materiam vero ejus experientia offert.

§. 18.

Videamus autem forte hic in eundem ipsi incidere errorem, quem antea illis exprobravimus, qui rationem sensuum ministram facerent: cum scilicet & rationis & experientiae auxilio ad virtutem humanam constituendam utimur.

Valde tamen tamen differt nostra ab illorum sententia. Illi amorem sui, qui e sensuum nascitur experientia, in re morali *obligandi*, rationem autem cognoscendi principium, esse statuunt. Nos contra illud a ratione pura, hoc ab experientia petimus^(*). Illis

pla-

^(*) Cui ratio nil creare posuit, nec fit nisi formandi facultas, patet, eam homini jubere non posse: hoc agit. Cum autem queritur: an quoddam, cuius id est experientia obtulit, faciendum sit nec ne? ratio apodictice, nec respectu habito effectuum ejus, quos experientia ostendit, affirmit vel negat. Ad definiendum autem id, quod *justum* proprie vocatur, sufficit, ut quæstio nuda rationi proponatur. Sic cum queritur: an suum cuique reddendum sit? ratio mox affirmit, quia, si suum est, alterius esse haud potest. Ad constituenda vero officia humanitatis, necesse est, ut materia eorum latius explicetur. Sic cum queritur: an pauperi subveniendum sit? prius consideranda est pictura humanitatis, quæ experientia sicut sit. Deinde autem ra-

placet, honestatem actionis materialē esse, quæ ab effectu ejus ad felicitatem humanam pendeat: nos vero eam esse formalē, quæ convenientia ejus legi rationis contineatur, probare conati sumus. Ex singularibus ad generalia eorum ratiocinatio adscendit; nec unquam ad universale quoddam & absolutum pervenit: qualem est principium, unde nos rem moralē derivamus.

Deinde nobis objiciatur: neminem hominum absolutam hanc unitatem actionum suarum assequi posse.

Hoc non negamus: nemo enim mortalium est, qui rationi absolute obtemperet, nullis seductus sensuum illecebris.

Si homo mere rationalis foret, lege morali non magis egret, quam, si mere sensualis foret. Nam ut in hoc casu nil aliud, quam felicitas sua, eum moveret: sic in illo non posset non rationi obsequi, atque semper honeste agere.

Cum autem homo ex duplicitate consistat natura, sensuali et rationali: lege ei opus est, quia ratio sensus coerceat.

Sic omnis virtus humana non nisi pugna erit perpetua rationis & sensuum, liberæ voluntatis & cupidinum, a sensu grati & ingrati natarum.

Quam-

tio hominibus, natura socialibus & mutua operi indigentibus, legem fert: quia quisque, vel si certus sit, se nunquam aliorum auxiliō opus habiturum fore, ad alios juvandos obstringitur. Aliis igitur opem ferre, vel sympathiae vi motum, vel suæ indigentiae memorem: pulchrum quidem est & utile, sed non honestum. Officio autem obstrictum id facere, vere honesti viri est.

Qvamvis vero virtutis perfectum asseqvi ideam neqveamus: num tamen nullam esse, contendamus? Atque num virtus ad nostram demittenda est infirmitatem, vel nos ad ejus sublimitatem extollendi? Ut pulchritudinem artifici, sic virtutem homini petendam, idealem esse oportet. Nubi similis, qvæ Israélitas per deserta Arabiæ duxit: Virtus superius apparens, e pecorum cohorte, glebæ adfixorum, hominis mentem extollat; nec in cœlum tamen oculis ejus, cui viam in terra monstrabit, subducatur.

§. 19.

Prohibent nos cancelli dissertatiunculæ hujus, ne hanc honesti notionem, qvam, doctrinæ Kantianæ de morum metaphysica intelligendæ incumbentes, nobis formavimus, plenius explicemus.

Hoc tantum deniqve observemus: illam communī hominum opinioni aptissime convenire; qvæ quidem res ad veritatem ejus confirmandam valde facere nobis videtur. Sæpenumero enim, in re morali præfertim, vulgi sententia, qvamvis distinctam ejus reddere rationem nesciat, proxime ad veritatem accedit.

Illa autem omni tempore honestum ab utili distinxit: aliud esse, officii, aliud, commodi causa agere, affirmans. Atque virtutis vim in eo posuit, ut sensuum libidines rationis lege illa refrenaret.